immotus vultu placido mente tranquilla infelicis amentia pernitia verba cohiberet. Sed ita nequam spiritus meo redundabat ut ne sua quidem illi quamvis vana admodum mens subeset trementibus labiis mutatoque vultu decolere pressione rotabat verba peccati se asserens sanctiorem quippe qui a primis annis in monasterio inter sacras ecclesie disciplinas ipso martino educante crevisset. Martinum vero et a principio quod ipse diffiteri non posset militie actibus sorduisse et nunc per inanes superstitiones et fantasmata visionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hec cum multa atque alia etiam que reticere melius est acerbiora vomuisset egressus tandem furore saciato quasi qui se penitus vindicasset rapidus ea parte qua venerat recurrebat. Cum interea credo per martini orationes fugatis ab illius corde demonibus reductus in penitentiam mox revertitur atque ad martini se genua pro-

sternit veniam poscens fatetur errorem nec sine demone se fuisse tandem sanior confitetur. Non erat apud martinum labor iste difficilis ut ignosceret supplicanti. Tunc et ipsi et nobis omnibus sanctus exposuit qualiter illum a demonibus vidisset agitari se convitiis non moveri que magis illi a quo essent effusa nocuissent. Deinde cum idem Bricio multis apud eum magnisque criminibus sepe premeretur cogi non potuit ut eum a presbiterio submoveret ne suam persequi videretur iniuriam. Illud sepe commemorans. Si christus iudam passus est cur ego non patiar Brictionem. Ad hec postumianus. Audiat inquit iste de exemplo. Qui non sit sapiens immemor presentium immemor futurorum si fuerit offensus insanit in sua se non habens potestate sevit in clericos grassatur in laicos totumque terrarum orbem in suam commovet ultionem in qua per triennium iugiter dimicatur consistens nec tempore nec